

**Neque Eros, neque Trotula, sed Salernitanus quidam medicus, isque Christianus, auctor libelli est qui De morbis mulierum inscribitur. Prolusio / [Christian Gottfried Gruner].**

### **Contributors**

Gruner, Christian Gottfried, 1744-1815.

### **Publication/Creation**

Jenae : Strauss, 1773.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/c5nv2z6u>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

25883/p 53050  
NEQVE EROS, NEQVE TROTVLA,  
SED  
SALERNITANVS QVIDAM MEDICVS,  
ISQVE CHRISTIANVS, AVCTOR LIBELLI EST  
QVI  
DE MORBIS MVLIERV  
INSCRIBITVR

---

PROLV SIO  
QVA  
NOVVM MVNVS  
QVAM CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM  
AVSPICATVR  
ATQVE  
SCHOLAS SVAS MEDICAS  
HOC SEMESTRI APERIENDAS  
INDICIT  
CHRISTIANVS GODOFREDVS GRVNER  
MEDICINAE DOCTOR  
BOTANICES AC THEORETICES PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS.

---


I E N A E  
EX OFFICINA STRAVSSIANA.  
c1515cclXXIII.









 Cogitanti mihi, quod potissimum argumentum in muneris auspiciis pertractandum sumerem, venit fato, nescio, quo in manus praeclara illa WOLPHII *a)* collectio, quae in morbis mulierum versatur. Quae etsi rebus multis gaudet, iisque haud indignis curatori quadam inuestigatione, tamen me operam et oleum, quod aiunt, haud perditurum ratus sum, si, quaecunque ad libellum illum pertineant, qui vulgo *de passionibus mulierum* inscribitur, et partim ad *Erotem b)*, medicum libertum *Iuliae Aug.* refertur, partim ad *Trotulam c)*, feminam quandam seculo vndecimo ob artis facinora clarissimam, hac in prolusione mea colligerem,

A 2

*a)* Gynaec. p. 98. seq. T. I. Edita haec scriptiuncula, ni fallor, primum a GE. KRAVT. est, et paullo post in *Experimentario Medicinae*, Argent. 1544. repetita. Inserta vero simul legitur in *Coll. Aldina*, Venet. 1547. p. 71. in *Coll. Spachiana* Argent. 1597. p. 42. T. I. tandem in *Coll. Empiricorum*, quam Venet. 1554. typis exscribendam curarat BENED. VICTORIVS. Cf. si placet, FABRIC. Bibl. Lat. L. IV. c. 12. n. 6. p. 867. ed. quart. MERCKLIN. Lind. Ren. p. 264. et p. 1030. SCHENCK. Bibl. Med. p. 506.

*b)* Sic plerique. Alii *Protem* scribunt, vt MERCKLINVS in *Linden. Renov.* l. c. p. 716. Sed falso, cum in inscriptionibus tantum non semper *Eros* legatur.

*c)* FABRIC. Bibl. Lat. L. IV. c. 12. n. 6. p. 867. sequ.





rem, et tunc demum, si fieri vlllo modo possit, verum auctorem longe recentiore esse, ac vulgo putatur, demonstrarem.

Est vero tanta hac in re apud scriptores dissensio, vt alius aiat, alius neget, et tandem, cum omnia haec legeris, incertior multo sis, quam ante fueras. Alii enim illum *Eroti* attribuere non verentur, eorumque in numero sunt ipse WOLPHIVS *d)*, ADRIANVS IVNIVS *e)*, RHODIVS *f)*, IO. GE. SCHENCKIVS *ff)*; alii *Trotulam* auctorem efficiunt, vt TIRAQVELLVS *g)*, CONR. GESNERVS *h)*, et praeter hos docti viri multi, idque sine dubio hanc ob causam, quia in ipso libello mulieris huius medicae facta est mentio; alii denique vtrumque locum habere posse negant, scriptionemque hanc medico cuidam Salernitano deberi vtcunque profitentur. Fecerunt id prae ceteris HERM. CONRINGIVS *i)*, THOM. BARTHOLINVS *k)*, CLERICVS *l)*, STOLLIVS *m)*, IOECHERVS *n)*, KESTNERVS *o)* cet. videturque id vnum nobis mirum, quod, an ad medicum Salernitanum vere referendus ille liber sit, dubitanter tantum non omnes pronunciarunt. In quo quam recte senserint, iam paucis videamus. Ego enim inter legendum in tot tamque firma  
senten-

*d)* Gynaec. p. 89. T. I.

*e)* Animaduers. VI. I.

*f)* In *Scrib. Larg.* Emendat. et Not. p. II. vbi certe *stilus Iuliae aetate multo posterior* esse dicitur.

*ff)* Bibl. Medic. p. 159. quo in loco simul via et ratio demonstratur, qua factum sit, vt ex *Eros Iulia* fieret *Trotula*.

*g)* De Nobilitat. c. 31. n. 352. p. 408. ed. Lugd. 1559.

*h)* Bibl. Vniuers. p. 62c. T. I.

*i)* Introduct. in Art. Med. c. V. §. 15. p. 193. ed. Hal.

*k)* Diss. De libr. legend. VI. p. 132. ed. MEVSCHEN.

*l)* Hist. de Medec. P. III. L. I. c. I. p. 12. ed. Amst. 1702.

*m)* Hist. der Med. Gel. P. II. c. I. §. 47. p. 744. sequ.

*n)* Gel. Lex. p. 358. T. II. et p. 1338. T. IV.

*o)* Medic. Gel. Lexic. p. 864. sequ.



sententiae contrariae argumenta incidi, ut amplius haerere nullo modo possem.

*Trotulam* vero huius scriptiunculae auctorem esse, quis est, qui hoc sibi persuaderi patiatur? Non enim aliunde id suspicari licet, nisi ex verbis p) hisce: *Idem ventus in vuluam ingressus, inquit auctor, et receptus in dextram partem vel sinistram matricis, tantam generat ventositatem, quod quasi ruptae vel iliacaе appareant. Vnde communiter TROTVLA vocata fuit, quasi magistra operis. Cum enim quaedam puella debens incidi propter huiusmodi ventositatem, quasi ex ruptura laborasset, cum eam vidisset TROTVLA, admirata fuit quam plurimum. Fecit ergo eam venire in domum suam, ut in secreto cognosceret causam aegritudinis. Qua cognita, quod non esset dolor ex ruptura vel inflatione matricis, sed ex ventositate, fecit hoc modo ei fieri balneum, in quo coquebatur malua et parietaria, et eam intromisit, ac eas partes frequenter et satis plane tractavit mollificando, et diu fecit eam in balneo commorari, et post exitum a balneo faciebat ei emplastrum de succo tapsi barbati, et rapistri, et farina hordei, et totum illud ad ipsam ventositatem consumendam calidum apposuit, et iterum balneo praedicto insistere fecit, et sic curata remansit cet.*

Iam vero is semper priscis abhinc temporibus mos obtinuit, ut scriptor pessimus ac optimus quisque in libelli fronte nomen suum profiteretur, adeoque, quare hic aliter usu euenit, prorsus non video. Aut enim auctor latere voluerat, aut non. Si voluerat, imprudenter sane fecisset, si in medio se demum prodidisset. Sin vero aliter, quid *Trotulam* prohibuit, quo minus statim se ipsam appellaret, honoresque sibi adferret debitissimos? Hinc, nisi omnis fallor, conficitur, nec locum hunc adferri tuto posse ad *Trotulae* quandam auctoritatem conciliandam, cum libellus totus sine dubio ab alieno ho-

p) In Gynaec. L. cit. c. 20. p. 106. cf. GE. MATTHIAE Conspect. Hist. Med. Chronol. §. 98. p. 51. ubi haec inter mulieres medicas salernitanas seculi vndecimi refertur.





mine profectus sit, nec etiam dubia hac in re credendum inscriptioni esse, siquidem hoc veteratoris cuiusque fuit, ut eo facilius incautos legentium animos falleret.

Quare cum ista scriptio nullo modo debeatur *Trotulae* medicae, multo minus audiendi ii sunt, qui eam ad *Erotem* temere, tanquam auctorem, referunt. Commemorantur (fatebor enim) multi apud veteres, quibus nomen *Eros* est. Sic enim apud GRUTERVM *q)*, RHODIVM *qq)*, CLERICVM *r)* atque *Illustr. WALCHIVM rr)* legitur

P. DECIMIVS. P. L. EROS

MERVLA. MEDICVS

CLINICVS. CHIRVRGVS

OCVLARIVS. VI. VIR

HIC. PRO. LIBERTITE. DEDIT. HS. 1000.

HIC. PRO. SEVIRATV. IN REM. P

DEDIT. HS. ∞. ∞.

HIC. IN. STATVAS. PONENDAS. IN

AEDEM. HERCVLIS. DEDIT. HS. clōclōclō

HIC. IN. VIAS. STERNENDAS. IN

PVBLICVM. DEDIT. HS. clōclōclōclōclō ∞ ∞

HIC. PRIDIE. QVAM. MORTVVS. EST

RELIQVIT. PATRIMONI

HS. ∞ clōclō.

Qui an idem ille sit, qui apud CLERICVM *s)* dicitur

EROS. AVGVSTAE. MEDICVS

SPOSIANVS

aut etiam is, qui ibidem est

L.

*q)* Inscript. Thes. n. 7. p. 400.


*qq)* In *Scribon. Larg. Comp.* 37. Emend. et Not. p. 78.

*r)* Hist. de Medecin. P. III. L. I. c. 2. p. 21. Cf. *Martial. Epigr.* 56. L. X. v. 6.

*rr)* *Antiquit. Medic.* n. I. p. 19. Item p. 22. et p. 97. Cf. *MVRATOR.* Thes. Inscript. p. 474. 6. *Mercurial. Var. Lect.* III. 22. p. 79.

*s)* Hist. de Medec. P. III. L. I. c. 1. p. 12.






L. APVLEIVS. L. L. EROS

MEDICVS

iam non attinet multis anquirere, quippe id et iis libenter relinquimus, qui acutioris in indagando naris sunt, et a nostro proposito cum maxime alienum existimamus. Id vnum scio, ab nullo eorum libellum hunc, qui *Trotulae* vulgo adsignatur, profectum esse, nec vnquam proficisci potuisse.

Si enim verus eius auctor *Eros* esset, libertus ille ac medicus *IULIAE AVGVSTAE*, tunc profecto nullo modo fieri potuit, vt omnem omnino purae orationis curam turpiter abiiceret, quippe illo tempore nefas habebatur, tam foedas et inauditas voces in dicendo adhibere, aut doctas Romanorum aures his barbarorum sordibus contaminare, quales hac in scriptiuncula *de passionibus mulierum* innumerae fere ac vbiuis occurrunt. Vfus enim tam barbaro, duro horridoque dicendi genere is est, Iqui eam confecit, vt referenti mihi mens horreat stupeantque capilli! Quam diuersus et abhorrens a *CELSI* nitore ac elegantia est! Quam squalidus ac incultus in explicandis iis malis, quae corpus muliebre infestare solent! Sunt vero hoc ex genere, *creaturae, aegritudines et angustiae aegritudinum, compententer, minorantur appetitus, arguunt suspensionem, vena, quae sub cauilla pedis, fac crispellas, aut vt paullo post scribitur, scripellas s. scriblitas, da patienti, ac patiens minuatur, ab intra inungat, pulueriza, malaxa, confortat, facit prorumpere extra, facit aperiri, fecit sugenda extrahi, facimus purgarizare, fac iacere, facias balneari, fac sedere, citrinitas, succositas, fumositas frigida, auena saccellata, similiterque saccelletur venter, stypticitate participans, vti carnali commercio, pectus grossum, grossities humorum, maturatiua, mundificatiua saniei, mollificatiua, penetratiuus, rubificare, acumen medicinae, vnguentum generatiuum, cibi digestibiles, cautela, vnctuositas, subtiliat et subtilian-*  
dum





*dum nutrimentum, eat ad sellum, plumaceolum, depilatorium, saluabitur, in mane remoue, in sero, vt in mane, ventosus ponimus, ad faciem clarificandam, proba cum penna, nec non feci et probaui, virtus eius palliat leprosos cer.* Sufficiunt enim haec ad perspiciendum, quam parum sibi cauerint, qui libellum tam proletarium et ab Augustei seculi castimonia cum maxime abhorrentem *Eroti* dare non erubuerunt. Qui si eum vel obiter inspexissent, meminissentque simul *Celsi*, qui tam terse, caste ac eleganter expresserat, quicquid ad res medicas vlllo modo referendum videatur, tunc profecto in tam foedum, nec facile ignoscendum errorem incidere nullo modo poterant, aut amplius haerere dubii, ad quam potissimum aetatem scriptiuncula ista pertineat.


Fac vero, fieri vnquam potuisse, vt aut *Eros* hunc libellum graece componeret, quem deinde barbarus quidam homo latinum fecerit; (sic enim nonnullis veterum admiratoribus placuit) aut etiam Romanus aliquis talem orationis dignitatem venustatemque prorsus negligeret, qua, quaeso, via et ratione factum est, vt medicus *Iuliae Augustae* posset *Galenum* t) allegare, quem constat inter omnes multis annis post vixisse? Quo fato demum sinistro accidit, vt inter scribendum etiam *Paullum* u) commemoraret, cuius nomen atque auctoritatem, cum nondum in viuis esset, appellare nullo modo potuit? Quae cum mirifice a se inuicem dissideant, ecquis tantae est oscitantiae, vt libelli huius artificem longe recentiore esse, ac in fronte mentitur, non perspiciat?

Multis

t) Lib. cit. Proleg. p. 90: c. I. p. 91: c. 4. p. 94: c. 5. p. 95: c. 8. p. 96: c. 10. p. 98. vbi et simul HIPPOCRATES commemoratur. Item c. 11. p. 99. et c. 13. p. 100.

u) L. cit. c. 8. p. 97. Gynaec. Videtur vero forsitan respicere ad *Paulli* L. III. 64. et 65. p. 484. Coll. STEPH. et p. 117. seq. ed. Ald. graec. vbi similia quaedam medicamenta commendantur, etsi diuersa mixtura et mensura.





Multis sane impellimur causis, ut eum ad finem seculi xiv. vixisse atque ex schola Salernitana processisse putemus. Primum enim commemorantur hic *IVSTIANVS* v) quidam *medicus* atque *COPHO* w), quorum prior quis fuerit, neque apud *FABRICIVM*, neque apud ceteros historiae medicae scriptores reperire mihi adhuc licuit, nisi forte idem ille sit, qui apud *GE. MATTHAEI* x) *IVSTVS* dicitur, et *iudicio Sidonii Apollinaris Chironica magis institutus arte, quam Machaonica fuit*. Forsitan vero melius legitur *IULIANVS*, atque tunc aut ille est *diaconus*, cuius *AETIVS* xx) meminit, cuiusque antidoto etiam, ut hic apud nostrum auctorem, adiicitur *cuminum ad menses ducendos*; aut si recentiorem quaeras, vel *PETRVS HISPANVS* y) est, qui cum *PETRVS IULIANI* dicitur, tum *PETRVS IOANNES Vlyssiponensis*, *medicus seculo xiii. longe clarissimus*, et tandem pontifex maximus Romae *cio cclxxvii. periit*, vel denique *IULIANITA* s. *IULIANVS Bononiensis*, qui seculo tandem xiv. medio vixit. At *COPHO* sine dubio ad finem seculi vndecimi innotuit, cum eius iam meminerit *GILBERTVS ANGLICVS* z), seculi xiii. scriptor, etsi alii iterum illum ad xiv. amandarunt. Feruntur certe eius nomine *Electuarium*, quod *NICOLAUS ANTIDOTARIUS* commemorat: Item *de arte medendi*, quem in *bibliotheca Plat-*  
B riana

v) Lib. cit. c. 4. p. 95. T. I.

w) Ibid. c. 17. p. 103. Cf. *SCHENCK*. Bibl. Medic. p. 109. et *IOECHER*. Gel. Lex. p. 2080. T. I. ubi varia scitu digna legere me memini, similiterque *CLERICVS* Hist. Medec. P. III. L. I. c. 1. p. 12.

x) Conspect. Hist. Med. Chronol. §. 78. p. 35.

xx) Tetrabl. III. Serm. III. c. 12. p. 555. Coll. Steph.

y) In *MATTHAEI* Consp. Hist. Med. §. 114. p. 60.

yy) Ibid. §. 123. p. 66.

z) Ibid. §. 116. p. 61. De eius vero scriptis vide *SCHENCK*. L. cit. p. 200. et vita v. *FREIND*. Hist. de Medecin. P. III. p. 237. seq. ed. Paris.





*neriana* 22) fuisse intelleximus; denique *anatomia porci*, qua demonstrare ille annititur, *interiora eius homini esse simillima* cet. Neque vero, ut nobis videtur, temere sic de tempore, quo vixit, coniectamus. Verba enim COPHONIS ipsa, quae CONR. GESNERVS a) suppeditauit, satis superque sapiunt turpem istorum seculorum barbariem. *In medendis corporibus*, inquit ille, *et maxime purgandis, variis saepe molestamur incommodis, non quia medicina, quae datur, sit incongrua, sed quia ab incongruis medicis incongrue est oblata. Ideo ego Copbo hoc opus de modo medendi ex Copbonis ore, suisque et sociorum scriptis compendiose collegi, quatenus si quod symptoma potionato superuenerit incongruum, mihi ceterisque in hac arte non prouectis conueniens praesto sit remedium.* Ex his vero facile colligitur, scriptorem nostrum, qui demum cunque ille sit, his viris aetate fuisse paullo inferiorem.

Accedit et illud, quod quandam MAGISTRI GERALDI b) compositionem adduxit, cuius beneficio visus acies redintegrata est. Iam vero ille TOLETI *Hispanorum* a. CIOCLXXXIV.


*mor-*

22) Sect. Poster. p. 87.

a) Bibl. Vniuers. p. 187. T. I.

b) L. cit. c. 63. p. 127. Cf. IO. ALB. FABRIC. Bibl. Lat. Inf. Aet. L. VII. p. 110. et p. 115. ubi GERARDVS *Carmonensis* s. *Cremonensis* auctor *Comment. in Viaticum* esse perhibetur, idque non iniuria, siquidem apud VALESCVM DETARANTA (Philon. Pharmac. L. I. c. 1. p. 1. et L. I. c. 25. p. 79: L. III. 19. p. 216: L. IV. 29. p. 390: L. V. 13. p. 460: L. VI. 6. p. 499: L. VII. 14. p. 607. ed. Frft. 1599.) GERARDVS *Cremonensis super Viaticum* identidem commemoratur. Similem vero operam ap. FABRIC. p. 116. ex GESNERI fide GERARDVS BUTTVVS, et secundum GE. MATTHAEI (L. cit. §. 97. p. 50.) etiam GERALDVS BIENTVS *Parthiensis*, immo vero, ut IO. GE. SCHENCKIUS (Bibl. Med. p. 198.) memoriae prodidit, GERARDVS *Bituricensis de Cremona*, suscepisse feruntur. Hinc tolli, ut nobis videtur, iste dissensus facile poterit, modo memineris, varios varie in hunc CONSTANTINI libellum fuisse commentatos.





*mortuus est*, et, teste SANDERO apud FABRICIVM c), scripsisse dicitur *commentarium super Viaticum* CONSTANTINI, qui libellum hunc circa annum CIO LXXX. confecerat, adeoque me mirari subit, quid sit, quod HERM. CONRINGIVS d) quodam verborum orationisque similitudine deceptus nostram etiam scriptiunculam CONSTANT. AFRICANO dare percuperet. Nam si vera sunt, quae de COPHONE ac GERALDO supra commemorauimus, fieri nullo modo potest, ut huic magni CONRINGII tuto assentiamus coniecturae, quippe alias haec nomina prorsum abesse debuissent. Neque etiam haec reliquis scitis, quae libello nostro suppositio continentur, prorsus respondent.

Porro nec illud silentio praetereundum est, quod hic commemoratur *medicus quidam in regione Franciae* e). Hoc enim nomen non, nisi post incurSIONEM Francorum in Galliam, quae inde ab seculo quinto incipit, ubique fere receptum est, ut post TRITHEMIVM f) nuper admodum praeclare demonstraui MEUSELIVS V. Cl. g). Deinde *medicamentum* quoddam THEODORICVM b) adducitur ad menses reuocandos, quod sine dubio aut in THEODORICI I. honorem sic appellatum est, ut quibusdam viris doctis videtur, aut, si mauis, debetur potius THEODORICO i), qui se-

B 2

culo

c) L. et pag. cit. Cf. FREIND Hist. de Medec. P, III. p. 248.

d) Introd. in Art. Med. c. V. §. 15. p. 193.

e) L. cit. c. 2. p. 92. et c. 61. p. 123. *atramentum*, quod fit in Gallia, commemoratur: hinc hisce verbis promiscue vsus fuisse videatur.


f) Annal. Compend. L. I. p. 13. ed. Frft. 1601. et maxime De Orig. Francor. p. 68.

g) Geschichte von Franckr. Th. I. B. I. p. 4. seq.

b) L. cit. c. II. p. 99.

i) ASTRUC. De Morb. Vener. L. I. 6. §. 4. p. 30. et L. II. 7. p. 135. nec non GE. MATTHAEI Consp. Hist. Med. Chron. §. 110. p. 58. Secutus autem THEODORICVS prae ceteris BRVNVM est, ut GVI-  
DO DE CAULIACO perhibet (Chirurg. Tract. II. c. 4. p. 72. et p. 81.





culo XIII. magna medicinae laude claruit, tandemque episcopus Ceruiensis factus est. Anteponitur aetate saltem ille GVIDONI DE CAVLIACO *k*), qui seculo demum XIV. vixit, adeoque hinc efficitur, natales libelli *de passionibus mulierum* longe serius, quam vulgo fit, repeti oportere, nisi velis annalibus expressisque auctorum verbis fidem omnem derogare.

Quibus praemissis, reliquum est, vt, an auctor eius vere post Arabum tempora scholaeque Salernitanae gloriam vixerit, videamus. Patet id, nisi me omnia fallunt, exinde cum maxime, quod inter legendum in varia Arabum medicorum nomina et compositiones incidas, suntque hoc  
ex

p. 81: IV. 6. p. 242. et l. c. 7. p. 269. sequ. Lugd. 1572.) qui, vt inter omnes constat, et benedemonstrauit IO. FREINDVS (Hist. de Medec. P. III. p. 251.) medio seculo XIII. Patauii medicinam fecit. Porro etiam THEODORICVS, quem male notatum a FREINDO esse scimus, adhibuit incantationes, vt NICODEMVS et GILBERTVS, (GVID. Tr. III. c. I. p. 143.) in curatione vulnorum capitis dissentit a GALENO atque PAVLLO, (Ib. Tr. III. c. I. p. 189.) habuitque similiter sectatores, quia eos GVIDO (Tr. III. I. p. 197.) sic reprehendit: *Non audiantur ergo verba illorum Theodoricorum et Ianuensium.* Alio vero loco (Chir. Magn. Tr. VII. Doctr. II. c. 1. p. 522.) adfertur *potio vulneratorum, et est Theodorici et sociorum.* At vero omnium optime Chir. Paru. c. 8. p. 543. vbi legitur *unguentum diapompholygos, et laudatur a THEODORICO et a tota secta sua.* Fuit praeterea bonus prudensque chirurgus, vt ex Tr. III. c. 6. p. 216. patet, et cum ex Hugone magistro suo (Tr. V. c. 6. p. 282.) profecerit, mirum profecto non est, quod ille ap. CONR. GESNERVM (Coll. Chirurg. Script. p. 407. b.) *chirurgiam secundum medicationem HVGONIS DE LVCA sermone barbaro conscripserit* perhibeatur. De reliquis *Theodoricis* vide TIRAQVELLVM De Nobil. c. 31. n. 319. p. 397.

*k*) Ap. VALESCVM DE TARANTA Philon. Chir. c. 7. p. 631. Est vero hoc medicamentum, quod in spurio nostro libello adducitur, *purgans* illud, cuius fit mentio Philon. Pharm. II. 52. p. 169.



ex genere *tryfera Sarracenia* l), *bedegar*, *Sumach*, *Zuccharum*, *unguentum ex butyro Maii*, *radix iari*, *algitbira* f. *dragantbi*, *alcanna*, *pulvis marmoris* et *pulvis pumicis assi*, *alcohol* et *charabe*, *semen iusquiami* cet. m).

Porro ex Arabum scholis repetendae sunt *aqua distillationis florum caprifolii*, *aqua rosacea ad gummi Arabicum soluendum*, *aqua rosata vel furfurum*, *aqua vitae de vino meliore distillata* n), *terpentina tribus vicibus distillata*, *lignum aloes tribus vicibus distillatum*, *populeum cum oleo rosaceo*, *oleum de tartaro*, *oleum rosatum* rel. Immo vero

B 3

haec

l) L. cit. c. 3. p. 93. et c. 22. p. 109. Fallitur hinc vehementer MATTHAEI L. cit. §. 130. p. 71. qui hanc *trypheram Saracenica* a VALESCO DE TARANTA in medicarum numero collocari existimat. Nuspian enim haec extant, sed medicamenti solius nomen est. Sic enim ille Philon. Pharm. L. VII. 4. p. 576. Cf. etiam L. I. 6. p. 12. vbi *tryphera* iam inde a CONSTANTINO commendatur, et p. 13. *tryphera ex myrobalanis confecta*. Formulam vero *tryphae Saracenicae*, quam etiam GUIDO DE CAVLIACO (Tr. VI. c. I. p. 348.) adduxit, vide, si placet, apud IO. MESVEN De Re Med. L. III. p. 300. ed. IAC. SYLV.

m) L. cit. c. 61. p. 124. T. I. Gynaec. Cf. inter GALENI Opp. L. De Plantis p. 1006. T. XIII. ed. CHART. vbi multa hac de planta referuntur, quae an vera sint, iam anquirere non lubet. Videtur saltem illud *semen iusquiami*, quod hic a supposititio nostro auctore commemoratur, idem esse, vnde apud Auicennam (L. III. Fen. 14. Tract. III. c. 15. p. 585. ed. Bas. 1556.) fit *oleum iasminum vel de iesemin*, id quod, ut IO. HARTM. BEYERO in not. ad Valesci Philon. Pharm. I. 7. p. 14. placet, cum *Sambachino* vel *Zambachino* conuenit, etsi, si dicendum, quod res est, *Auicenna* ibidem vtrumque expresse appellauit. Neque praetereundi hac in re AEMI- LIVS MACER (De Virib. Herb. sub h. voc. v. I. seq. p. 87. b. ed. Atroc. 1530.) sunt, atque IAC. DONDVVS f. AGGREGATOR (In Enum. Remed. Simpl. Chir. p. 359 b. Coll. GESN.) vbi legitur *iesemin Auic. embrocata*.

n) L. cit. c. 62. p. 126. Gynaec. T. I. vbi simul variae id genus distillationes adferuntur, vel ad decimam vsque repetendae.



haec verba o): *Et hoc totum ponatur in capellam ad lentum ignem, et quod distillauerit, serua in vase aureo vel argenteo, satis superque docent, quantum artifex libelli nostri acceptum iis ferat, et quam prope ab recentiori aetate afuerit.*

Spectant etiam huc illi loci, in quibus ipsos *Sarracenos* nominat, quales hi sunt: *Herba marina, de qua Sarraceni tingunt pelles in colore viridi.* Et paullo post: *Hoc igitur modo tingunt mulieres Sarracenae facies suas p); Ego autem vidi quandam Sarracenam cum hac medicina multas liberare q);* denique *experimentum Sarracenicum r)* rel. Quos cum, tanquam praesentes, adduxerit, necesse est ille aut ipse hac ex gente fuerit, aut *SALERNITANVS* saltem *medicus*, isque christianorum mysteriis initiatus. Iam vero prius esse non potest, quia tunc obuium horum testimonium sine dubio non adhibuisset ad fidem rei suae conciliandam; Relinquitur ergo posterius, idque, ni fallor, tam certum est, quam quod certissimum.

Primum enim nolo ridiculis illis medicamentis immorari, quae istorum seculorum superstitione introduxerat, et ex quo numero sunt illa *ad conceptionem* aut faciliorem reddendam, aut impediendam prorsus, *ad partus negotium accelerandum, de umbilici magnitudine, ut signo virilitatis* cet. sed potius ad ea propius accesserim, quibus haec nostra sumtio confirmatur. Solet vero is, a quo dubius hicce liber profectus est, vbiuis *omnium bonorum et vniuersitatis huius auctorem deum s)* appellare ac monere, *in partus difficultate ante omnia esse ad deum recurrendum t), deo fauente u)* omnia peragi

o) L. et cap. cit. p. 127.

p) L. cit. c. 61. p. 121.

q) Ibid. p. 122.

r) Ibid. p. 124.

s) Ibid. Proleg. p. 89.

t) Ibid. c. 17. p. 102. seq.

u) Ibid. et cap. cit. p. 103.



peragi oportere rel. Deinde *ad dolorem matricis* commendat *portionem S. Paulli in modum auellanae v)*, id quod videtur idem illud medicamentum esse, quod paullo ante *w)* per *tres vel quinque pilulas de eodem THEODORICO vel PAVLINO* ad ciendos menses significarat. Omnium autem optime *scriptorem* huius libelli *christianum* fuisse, hinc intelligitur, quod passim *x)*, quid quoque die faciendum sit, edoceat, adeoque *diem dominicam* et *diem sabbati* disertis verbis adducat. Id quod, ni fallor, documento est, non, nisi eum, qui in christianorum religione natus educatusque est, sic remediorum usum potuisse praecipere.

Quibus ita se habentibus, facile (spero) demonstrabitur,

v) Ib. 'c. 22. p. 108. [Est vero ille aut IOANNES A S. PAVLLO Platearius, quem, teste GE. MATTHAEI (Consp. Hist. Med. Chron. §. 98. p. 51.) VINCENTIVS Bellouacensis, scriptor seculi XIII. medii, adduxit, aut etiam ipse S. Paullus, ut multis, maximeque omnium videtur Tiraquello (De Nobil. c. 31. n. 86. p. 263.). Sed fallitur idem ille vehementer. Commemorarunt (fatebor enim) GALENVS (De Compos. Medic. Sec. Loc. VII. 5. p. 554. T. XIII. ed. CHART.) atque AETIVS (Tetrab. II. Ser. IV. c. 65. p. 417. Coll. STEPH.) *antidotum* quandam *Paullinam* ad multos morbos, in primisque strangulationem vteri perquam accommodatam, sed vterque ARISTARCHI nomine, non PAVLLI, adeoque his testibus uti nullo modo poterat ad sententiam suam confirmandam. Probabile certe est, posteriores medicos, eosque christianos, idem medicamentum ac diuini viri auctoritatem adhibuisse ideo, ut maior eius vis atque praestabilior esse crederetur. *Potio* vero illa s. PAVLLI, quam NICOLAUS, ARNOLDVS Villanouanus, GILBERTVS Anglicus, multique praeter hos alii, passim adduxerunt, vel maxime *cum vino decoctionis Boconiae* aduersus epilepsiam commendatur ap. *Valescum de Taranta* Philon. Pharm. I. 24. p. 78. similiterque aduersus conuulsionem c. 27. p. 93. At L. I. 24. p. 74. refertur inter purgantia *medicina euphorbiata, quae constat ex Paullini vncia una et euphorbii scrupulo vno.*

w) Ibid. c. II. p. 99. Gynaec. T. I. ed. WOLPH.

x) Ib. c. 64. p. 120.



tur, fuisse artificem spuriae huius scriptionis *e schola Salernitana* progressum, quippe ab eo exempli loco commemorantur *mulieres Salernitanae y)*, *earum medicamina ad ruborem faciei efficiendum z)*, *nobiles* denique *Salernitanae a)* a plebeiis seiunguntur. Id quod tam bene fieri non potuisset, nisi hos mulierum fucos quotidie aut oculis suis ipse percepisset, aut saltem rumore ac narratiunculis eorum, qui illarum feminarum usu et contubernio fruebantur, tales fieri fraudes accepisset.

Accedit et illud, quod alicubi *b)* in iis medicamentis, quorum usus ad oculorum vitia magni momenti est, versus hos leoninos adferat:

*Foeniculum, verbena, rosa, chelidonia, ruta:*

*Ex his fiet aqua, quae lumina reddit acuta.*

Sunt autem illi, si conferre placeat, ex schola Salernitana *c)* decerpti, etsi quodammodo in verborum positu a se inuicem abhorrentes, idque sine dubio per scribarum inscientiam aut incuriam accidit. Sic enim in omnibus iis editionibus, quas inspeximus, diserte legitur:

*Foeniculus, verbena, rosa et chelidonia, ruta,*

*Subueniunt oculis dira caligine pressis:*

*Nam ex istis aqua fit, quae lumina reddit acuta.*

Alienum nimis profecto foret a meo proposito, multis de antiquitate ac dignitate scholae Salernitanae differere: Id enim iam mira cum diligentia et accuratione fecerunt ZACH. SYLVIVS *d)*, IO. FREINDVS *dd)*, multique praeter hos alii.

Id

y) Ibid. c. 61. p. 119.

z) L. cit. p. 121.

a) Ib. p. 125.

b) L. cit. c. 29. p. 110.

c) Schol. Salern. f. De Conserv. Valitud. c. 79. p. 330. ed. Aug. Vind. 1753. Medius vero versus etiam ap. Q. Serenum Samonicum c. 13. p. 82. ed. Humelb. legitur.

d) Praefat. in Schol. Salern. c. 2. sequ. edit. cit. Nam secundum hunc RO-



Id vnum commemorasse sufficiat, libellum hunc, qui olim instar omnium esse credebatur, ad finem seculi vndecimi conscriptum fuisse; id quod quam bene iis conueniat, quae supra de CONSTANTINO *Africano* et *magistro* GERALDO diximus, quis est, qui non videat? Tunc enim necessaria consecutione vincitur, scriptionem hancce spuriam, cuius auctorem adhuc studio deditaque opera anquisiuimus, deberi doctori cuidam Salernitano, qui aliquot seculis post vixerat, quia scholae huius auctoritate abusus est ad argumenti sui veritatem demonstrandam.

Repugnat porro simul hicce liber iis cum maxime, qui luis venereae natales multum ultra CAROLI, Galliarum regis, in Italiam aduentum extendi percipiunt. Facta enim ibidem e) est mentio vnguenti cuiusdam ad *coxarum et aliarum partium scabiem*, cuius vis potior mercurio debetur, praeparaturque illud trituratione *cum oleo et axungia*, aut etiam *saliuae* ministerio, ea tamen adiecta conditione ac lege, *ut si quis hoc vnguento se vnixerit, aquam frigidam in ore teneat, ne dentes laedantur ab argento viuo, quod circumquaque fluit*. In quo auctor noster ne latum quidem recessit ab Arabum placitis, qui omnium primi ausi sunt aduersus pediculos, scabiem variaque cutis vitia mercurium adhibere, similiterque ROGERIVS *Parmensis* f), THEODORICVS g), ARNOLDVS *Villanouanus* h), GVIL. VACCARIGNA-

BERTVS redux ab expeditione sacra post 1097. Salernum abiit medicos illos de vulnere fistuloso consulturus, quod ex telo venenato inflictum fuerat, adeoque forsitan anno 1100. hanc scholam Salernitanam in vulgus emanasse credibile est. At vero FABRIC. Bibl. Lat. L. IV. 12. n. 13. p. 871. ed. quart. id factum esse putat anno 1099. *Pagi* contra iam inde ab anno 1066.

ad) Hist. de Medecin. P. III. p. 219. seq. ed. Paris.


e) L. De Pass. Mul. c. 45. p. 115. et c. 61. p. 121. seq. T. I. Gynaec;

f) Chirurg. L. I. c. 42.

g) Chirurg. L. III. c. 49.

h) Medic. Pract. L. II. c. 43.





RIGNANA *i*), VALESCVS DE TARANTA *k*), BERN. GORDONIVS *l*), GUIDO DE CAVLIACO *m*), alii. Est vero hoc, ni fallor, certissimo indicio, libellum hunc, in quem inquiremus, multis annis ante, quam lues gallica oriretur, foras datum esse. Nam si morbus hic eo iam tempore increbuit, quo artifex noster se ad scribendum accinxerat, non poterat non etiam hic simul animadvertere, quantae haud raro utilitatis illud vnguentum sit, si dirissimum hoc ignoti morbi venenum salivae beneficio foras e corpore propellatur, aut saltem eos redarguere, qui temere ac nefario ausu hoc medicamento utebantur. Iam vero, prius ne fiat, sedulo hortatur, adeoque sine dubio hicce noster libellus medius quasi inter scholae Salernitanae gloriam ac mali Neapolitani ortum proiectus fuisse censendus est.

Restat adhuc vnus locus, qui legentium animos fallere dubiosque reddere posset. Legitur enim alicubi *n*) *bresilium frustatim incisum ad genas colorandas*, alias *o*) vero vna cum *croco orientali*, *sandalis*, *alcanna*, commendatur *decoctio bresilii ad capillos tingendos*. Vnde facile ad concludendum foret, hanc scriptionem, quam vulgo *Eroti* ac *Trotulae* attribuunt, videri longe recentissimam, et hoc *bresilium a Brasilia* nomen accepisse, nisi multa contraria nos cogerent assensum sustinere.

Opta

*i*) Secret. Sublim. Tr. III. c. 9. p. 135.

*k*) Sic ille aduersus achores commendat *vnguentum GORDONII*, aduersus scabiem, malum mortuum, morphaeam, Philon. Pharm. L. I. c. 2. p. 7. aduersus omnes cutis infectiones L. I. 6. p. 15. adu. pediculos varias cum mercurio compositiones ib. c. 4. p. 10. adu. scabiem, Phil. Chir. c. 16. p. 645. seq. adu. impetiginem ib. c. 8. p. 633. cet. ed. Frft. 1599.

*l*) In LILII L. II. c. 9. p. 161. ed. Lugd. 1550.

*m*) Chirurg. Magn. Tr. V. Doctr. I. c. 3. p. 325. ed. Lugd. 1572.

*n*) In Spurii nostri lib. c. 61. p. 121.

*o*) Ibid. p. 123.



Orta enim est superiori maxime seculo, ut inter omnes constat, de hoc ligno Brasiliensi multa, eaque longe clarissima disceptatio inter viros auctoritatis haud contemnendae, cum de rebus *Salomonis* curatius commentari vellent, suntque duces quasi ac coryphaei LIPPENIVS *p*), HVETIVS *q*), VRSINVS *r*), PFEIFFERVS *s*), HILLERVS *t*), CELSIVS *u*), et nuper demum IO. ERNEST. FABER *v*), Professor linguarum orientalium in academia Ienensi longe clarissimus. Hi tantum non omnes illa *Salomoni* transmissa ligna, אלגום, pro *Santalo rubro*, *Ligno brasiliensi*, aut quovis alio ligno pretioso, solido, ponderoso, putredinis experte, pulcri denique coloris, habenda duxerant. Quo iure, aliis diiudicandum relinquimus, cum haec nimis aliena a nostro sint proposito. Est enim hac in re tanta scriptorum veterum et recentiorum diuersitas, nulla ut maior esse

C 2

possit.

*p*) De Nauigat. SALOMON. Ophirit. c. VII. Sect. IV. §. 9. sequ. p. 701. Negat autem ille, haec *algumim* esse *lignum brasilianum*, aut *sandala*, sed probare potius ex fide *Garciae ab Orto*, qui pro-regis Indici fuerat medicus, alloborat, sandalum rubrum neque dulce esse, nec inficere: (id quod ei certe inesse videtur ligno brasiliano;) adeoque non posse non pro *ebeno* haberi.

*q*) De Nauigatione Salomonis c. 6.

*r*) Arboret. Bibl. Sect. V. c. 43. n. 5. p. 565. sequ. Hic discussis scriptorum testimoniis, tandem *ligna algumim sandalarubra* esse statuit.


*s*) Dub. Vexat. Cent. II. Loc. 95. p. 493. sequ.

*t*) Hierophyt. P. I. c. 13. n. 9. p. 130. sequ. Reprobat potissimum eorum sententias, qui hic per *algumim* aut *brasilianum lignum*, aut *cedrinum*, aut *corallia*, aut *ebenum*, intelligendum esse putant, quippe illud commune arborum resiniferarum nomen sit.

*u*) Hierobotan. Voc. *Algumim*, P. I. p. 171. sequ. Hic, ut omnium optime biblicarum plantarum historiam pertractauit, ita etiam bene versatus in explicanda vera huius vocabuli significatione est, ut, cum eam sandalo nostro respondere pronunciet, etiam temere refragari nemo audeat.

*v*) Archaeolog. der Hebraeer P. I. Abschn. VII. p. 334. seq. Ibi expresse dicitur respondere *santalo*. Reliqua vero V. Cl. docte ac eleganter explicuit.





possit. Nam in versione Alexandrina *m*) haec *aluminum* explicantur per ξύλα πελεκητὰ et ἀπελεκητὰ, apud HIERONYMUM et vulgatae auctorem per *ligna tbyina*; IOSEPHO *ww*) vero cum *piniferis* conuenire videntur, denique paraphraستي Arabi *x*) idem esse, quod *lignum coloratum*. Id vnum tamen commemorandum existimamus, quod verbum בראייל iam apud KIMCHIVM, SALOMONEN BEN MELECK et MOSEN MAIMONIDEM occurrit, etsi eam vocem pro glossate habet CELSIUS. Haec certe ex litteris Illustris TRILLERI, Senis venerabilis, nobisque amicissimi, nuper intelleximus, cum dubia hac in re ad immensam praeclaramque eius scientiam, tanquam ad anchoram sacram, confugeremus. *Vel maxime mirum*, scribit ille, *et summa attentione dignissimum est*, *ligna illa Ophiritica pretiosissima ארמונים vel ארגונים a vetustissimis et doctissimis Rabbiniis, KIMCHIO nempe atque MAIMONIDE, manifesto explicata fuisse per העץ האדום בראייל, hoc est, lignum rubrum Brasilium. Hic vero ipse KIMCHIVS, nunc, quaeso, attende et mirare, plus, quam ccc. annis, iam vixit ante ipsam Brasiliam ab Europaeis fausto sidere detectum ac repertam, et parvis paene aetatis quoque fuit MAIMONIDES, adeo, ut inde paene probabile videatur, quod acutissime suspicatus est doctissimus HVETIVS, lignum illud Brasilium non tam nomen suum accepisse ab ipsa insula illa Brasilia, sed dedisse potius nomen ipsi Brasiliae, adeo scil. ut lignum illud solidum, durum, ponderosum, rubrum, tinctorium, sua prima origine, quasi κατ' ἐξοχήν, בראייל, Brasil seu Brasilianum vocaretur cet.* Haecenus magnus TRILLERVS, idque tam docte, ut ei non possis non adfentire, cui haec maioris momenti esse videntur,

*ww*) I. Reg. IO. V. II. 12. p. 548. ed. REINECC. cf. 2. Chron. 2. v. 8.

*ww*) Antiquit. Iudaic. VIII. 8. quocum fere consentit PINEDA De Reb. Salom. L. IV. c. 18. n. 2. p. 222. seq.

*x*) Ap. CELSIUM l. cit. p. 177.



tur, quam quae hac in nostra scriptione supposititia commemorantur.

Id certus scio, falli vehementer, si qui docti viri haec Hebraeorum אֲרֻמִּים, *Lignum brasilianum* et *Santalum rubrum* pro iisdem habenda putent. Haec enim repugnant disertis nostri libelli verbis, quibus *bresilium a sandalo* studio deditaque opera in vna eademque formula *seiungitur*: alii vero mediae aetatis medici, cum in eadem capillorum tingendorum arte versarentur, identidem commemorant Santala, bresilium non item. Sic enim apud VALESCVM DE TARANTA y) saepe numero adferuntur *Santala, rubrum et album* z), *triasantala* a), *Santalum rubrum et citrinum* b), quocum innumeris in locis consentit GVIDO DE CAULIACO c). Hinc satis mirari non possum, quod CELSIUS d) ex *Salmasii* fide santalum album vsquam reperiri pernegaret. Nobis enim contrarium statuentibus assatim testium et copiarum floret.

Sed redeundum est, vnde deflexerat oratio, ne forte illud bresilium nos nimis a vero libelli nostri auctore auocet. Ex his enim, quae adhuc disputauimus, satis superque patet, *artificem, a quo illa de passionibus mulierum scriptio profecta est, fuisse medicum Salernitanum, eumque christianum, qui seculo sine dubio XIV. ultimo floruit.* At vero annum, quo primum hicce libellus prodierit, aut ve-

C 3

rum

y) Philon. Pharmac. I. 6. p. 13.

z) Ib. L. I. 7. p. 26. et L. VII. 6. p. 580. *Santalum album* L. III. 6. p. 233. Communi vero nomine dic. omnia *Santala* L. VII. 12. p. 601. et p. 603. At L. I. 7. p. 28. inter *odorata frigida* et p. 30. inter *styptica* refertur. Differre autem brasilium lignum a santalo rubro iam olim demonstraui GARCIAS AB HORTO, *Arom. et Simpl. Medic.* apud Indos *Nascent. Hist.* p. 69. ed. CLVS. tert.


a) Ibid. L. I. 19. p. 59. et L. V. 8. p. 442.

b) Ib. L. IV. 23. p. 363. et L. V. 1. p. 406. Iterum c. 2. p. 412.

c) Chirurg. Tr. II. c. 2. p. 90. et Tr. VI. P. V. p. 399.

d) L. et p. cit.





rum auctoris nomen publice profiteri, id est, quod mihi non sumam demonstrandum, partim quia labor ille periculosus ac irritus foret, cum, quicquid signorum hic reperiebatur, curatius iam anquisiuius, partim quia in tanta virium mearum imbecillitate, librorum barbarorum penuria, temporisque angustis nullo modo expectari poterat, ut haec satis certo demonstrarem. Saltem, auctore TULLIO e), *magnum opus omnino et arduum conamur, sed nihil difficile amanti aut tentanti.* Id vnum peruelim boni iustique harum rerum aestimatores ac arbitri meminerint, quae demum cunque aut in promptu erant, aut sine errandi metu dici poterant, huc me sedulo in medium protulisse. Cetera vero, si qua in posterum cognoro, animus est, suo quaeque loco adducere.

Reliquum est, ut, qua de causa haec potissimum scripta sint, optimus quisque intelligat. Placuit SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS, ACADEMIAE huius NVTRITORIBVS longe MVNIFICENTISSIMIS, mihi inopinanti, nec tale quid speranti *professionem botanices ac theoretiçes* quam clementissime demandare. Quae CELSISSIMORVM PRINCIPVM gratia ut est omnium maxima, et laudibus nunquam interituris extollenda, ita etiam ego pietate iubeor publice profiteri, quantopere insigni hac clementiae significatione commotus sim cum ad gratiarum actionem deuotissimam rite persolvendam, tum ad numinis fauorem pro salute TANTORVM NOMINVM ardentem expetendum. Supplex veneror deum immortalem, ut SERENISSIMOS SAXONIAE DVCES, DOMINOS MEOS CLEMENTISSIMOS, vna cum STIRPE SERENISSIMA, diu saluos, tectos ac incolumes seruet, eosque ornatos omni felicitatis genere, quod PRINCIPES BONI praeter ceteris promerentur, iubeat serius abire ad caelites. Ego vero, cui ex singulari CELSISSIMORVM DVCVM beneficio contigit

e) De Orat. c. 10.



contigit esse tam felici, vt tanto tamque praeclaro professoris ordinarii muneri admouerer, sancte polliceor, nullum vnquam tempus fore, quo mihi aut animus gratus, aut voluntas ad munia debita exsequenda defuisse videatur.

*Vestris* vero commodis vnice inseruiens, *Commilitones Optimi*, conferre statui, quod reliquum huius semestris est, ad scientiae *Vestrae* cancellos proferendos. Adeste igitur frequentes, o *carissimi iuuenes*, nostrumque bene de salute *Vestra* merendi studium humanitate, attentione, ac laudabili discendi ardore propediem excitare non cunctamini. Omnem certe mouebo lapidem. vt nec ego *Vestro* fauore indignus videar, nec *Vos* me ducem ac *magistrum* adhibuisse poeniteat. Scripsi Ienae d. viii. Nouembris, c10cclxxiii.





INDEX  
RECITATIONVM NOSTRARVM  
HOC SEMESTRI HABENDARVM.

Hora VIII-IX. die ☿ et ♄ publice in b. LUDWIGII *Methodum discendi medicinam* commentabor.

Hora X-XI. *privatim* Illustr. HALLERI *Primas Lineas Physiologiae*, idque diebus ♃, ♂, ☿, ♀ et ♄, explicabo; at vero

Hora XI-XII. et Hora II-III. *Praxin Clinicam*, eamque duce Ill. VOGELIO. Vtrique recitationi, si *Carissimis Commilitionibus* ita videatur, cumuli loco *Examinatorium* addere animus est.

Diebus ♂tis et ♀, iis destinata hora VIII-IX. est, qui de *rebus medicis* vel *differendo*, vel *scribendo* vires periclitari cupiant. Via et ratio instituti nostri coram indicabitur.

Neque deero iis, qui aut in *arte formulas medicas concinnandi* erudiri, aut *lectione* HIPPOCRATIS *magni* vel CELSI, veterum medicorum placita sibi familiaria reddere velint, ut tandem iustum eorum pretium statui possit.